



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera


Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Ervditissimi Viri Iacobi Sirmondi Praefatio De Seqventi Opere, déque ejus
auctore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657



ERVDITISSIMI VIRI
IACOBI SIRMONDI

P R Æ F A T I O

DE SEQVENTI OPERE,
deque ejus auctore.



ELOCEM hanc sententiarum idem nobis vetus codex protulit, qui Amolonis nuper epistolam ad Gothescalcum: ac nisi nos conjectura fallit, idem ipse Amolo, qui epistola est auctor, hujus quoque auctor est Collectionis. Cujus tu operis duplicem, LECTOR, pro solertia tua statim agnosces gratiam. Vnam, quod plurimis & maximis de rebus, qua in controversia nunc versantur, quid senserit & docuerit Augustinus, ipsius Augustini verbis, quod erat optandum, patefaciet, alteram, quod verborum Augustini, ne malos interpretes audiamus, veram utilemque intelligentiam depromet. Sunt enim vero, sicut olim fuerunt, qui sub Augustini titulo incautos circumveniunt. Neque enim cautior ille aut felicior esse potuit, quam Propheta, quam Apostoli & Evangelista, quorum verbis haeretici aliquando ad defendendos errores suos abusi sunt. Ceterum liceat quibus hos sequi libet, vel Augustinum cum Adrumetinis monachis non intelligere, vel falsa illi affingere cum Praedestinatistis. Nos Amolone duce Augustini sententias in eam partem accipiemus, qua Ecclesiae placitis maxime congruat, qua fidem, fiduciamque nostram adificet, qua nos Deo divinaque providentia totos dedat, explosis iis qui cum ab Augustino procul absint, Augustini tamen nomine gloriari, suumque illum dicere cum Gothescalco non erubescunt.